Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 21

Quelle:
Copyright:

mero. Libri *Salomonis* Praeloquiis gaudent. Duplici ante *Proverbia* Nota iſthaec ſubjecta eſt: *Ideo et de greco et de hebreo prefaciuncula utraque in hoc libro premiſſa eſt: quia nonnulla de greco ob illuminationem ſenſus et legentis edificationem. vel inſerta hebraice translationi. vel extrinſecus iuncta. Et idcirco qui legis ſemper* peregrini *memento.* Quisnam hic *Peregrinus?* An *Conradus Hirſaugienſis*, quem ſub *Peregrini* nomine multa vulgaſſe tradit *Trithemius?* An *Peregrinus* ille O. P. cujus *Sermones* Sec. XV. pluries impreſſos habemus? *Eccleſiaſtico* adſuta eſt illa *Salomonis Oratio*, de qua jam ad alia Biblia diximus.

XIII. VI. B. 9

62 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 182. cultu prioris, eſt *Tomus III. Sacrorum Bibliorum*, cui inſunt: *Job*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *II. Machabaeorum*, *Iſaias*, *Jeremias*, *Baruch*, *Ezechiel.* Omnia Prologis *Hieronymi* inſtructa.

XIV. VI. B. 10

63 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 191. praecedentibus per omnia par, eſt *Tomus* IV. et ultimus *Sacrorum Bibliorum*, in quo continentur: *Daniel*, *XII. Prophetae*, *IV. Evangelia*, *Epiſtolae Paulinae*, *Actus Apoſtolorum*, *Epiſtolae Canonicae. Apocalypſis.* Partim Prologis Hieronymi, partim brevibus argumentis praemunita. *Joh.* I. c. 5. teſtimonium terreſtre ante coeleſte poſitum eſt. Evangeliſtis in margine loca harmonica diligenter adſcripta ſunt. Illud addere libet, Nomina propria hebraica in אל deſinentia per Codicem in hac ſyllaba adſpirari, monerique id expreſſe T. III. *fol.* 20. in margine occaſione vocis *Ragubel.*

XV. VII. A. 5.

23 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 435. f. max. ſat nitide ſcriptus, librorum initiis auro, coloribusque illuſtratis continet *ſacra Biblia V.* et *N. T.* juxta vulgatam interpretationem praemiſſis ubique *Hieronymi* Praefationibus praeter Libb. *Machab.* quibus *Rabanus Maur.* praefatur. Libri ſe ordine conſueto excipiunt. *Esdrae tertius* ob interjectum *Nehemiam* inſcribitur *ſecundus. Cantica Canticor.* διαλογικως exarata ſunt, ut ad *Biblia Wenceslai Imp.* infra adnotavimus. *Evangelium Matthaei* haec praecedit rubrica: *Incipit euangelium. Mathei cancellarij ieſu criſti.* Inter Epiſtolas Paulinas *ad Coloſſ.* et *Theſſalonic.* intruſa eſt, minore tamen frontis ornatu, *Epiſtola ad Laodicenſes* apocrypha, de qua confer *J. Alb. Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* p. 853. Ad calcem Apocalypſeos ita legitur: *Explicit liber Biblie. Quem ſcripſit Johannes filius domini zacharie pellificis. Ciuis Noue ciuitatis Pragenſis. Et perfecit ſeu com-*